

ticula illa *physica*, quam vocem scimus esse usitatam a Patribus et Theologis, ad explicandam veritatem alicujus entitatis, causalitatis vel unionis. Sic interdum vocant Patres naturalem, unitatem Patris, Filii, et Spiritus Sancti, græce *physicam*, id est per veram naturæ unitatem. Eodemque modo unionem Incarnationis solent vocare physicam, seu naturalem, id est omnino veram et realem; sic etiam præsentiam Christi in Eucharistia, imo et unionem nobiscum in ipso et cum ipso, ratione illius mysterii, physicam seu naturalem, vel corporalem interdum vocant Græci. Ad eum modum quo Paulus, ad Coloss. 2, dixit, habitare in Christo plenitudinem divinitatis corporaliter, id est vere, et non umbratice, ut exposuit D. Thomas, tertia parte, quæstione secunda, articulo decimo, ad secundum. Theologi etiam, ad explicandam veram efficientiam humanitatis Christi et sacramentorum, illam vocant physicam, ut declarant non tantum esse moralem et metaphoricam, seu per accidens, sed per se et per realem influxum; sic ergo ad explicandam efficacitatem connaturalem illius prædeterminationis, prout a dictis auctoribus ponitur, vox illa *physica* addita est, quæ (ut dixi) non male illam declarat, si vera est talis proprietas, etiamsi illa entitas, quæ prædeterminatio vocatur, in se supernaturalis sit in ordine ad actus gratiæ; nam, licet gratia sit qualitas supernaturalis, suam tamen habet essentiam et naturam, et suas connaturales proprietates physicas et reales, et sic dicuntur habitus supernaturales physice efficere actus suos, et dari ad operandum supernaturaliter connaturali modo. Ita ergo determinatio illa dici poterit physica ad explicandam naturalem proprietatem, causalitatem, aut efficacitatem ejus, atque adeo ut significetur habere illam per se, et ex vi suæ entitatis et naturæ, et non ex aliquo alio adjuncto. Explicandum vero superest quænam sit ista proprietates determinationis, quæ per illam vocem indicatur; multa enim per illam significari possunt; in una tamen sola positum est punctum totius controversiæ, quem oportet præ oculis distinctissime habere, ne vel tota controversia evanescat, vel error aliquis delitescat, aut occultetur veritas. Primo igitur significari potest per illam vocem, quod motio Dei præveniens, præsertim illa quæ efficax dicitur, est vera et realis, et intime in homine inhærens, seu in intellectu vel voluntate ejus, et hoc totum verum est, non tamen satis ex-

plicat id propter quod illa particula addita est; est enim addita ad explicandum aliquid proprium auxilii efficacis, ut distinguitur ab eo quod tantum sufficiens est, et ab omni qualitate, quæ ita est principium actus secundi, ut non necessario vel infallibiliter inferat actum secundum. At omnia illa communia sunt auxilio præveniendi sufficienti tantum; est enim motio Dei ab Spiritu Sancto immissa, vera et realis, et animæ seu potentiis ejus intime inhærens, ac proinde physica in dicto sensu. Secundo significari potest per illam vocem, motionem Dei habere realem et veram causalitatem formalem in animam, per quam realiter ac perinde physice afficit illam, imo et inclinatur. At hoc totum commune est præveniendi gratiæ sufficienti; ponit enim in anima affectiones aliquas amoris, timoris, fiduciæ, sanctas cogitationes, seu illuminationes quæ formaliter, et intrinsece, ac realiter afficiunt seu informant potentias animæ, easque propterea inclinant ac movent. Similiter habitus infusi realiter et intrinsece afficiunt, et non habent illam efficaciam quæ per determinationem physicam significari intenditur.

Tertio, potest per illam vocem significari, quod gratia illa seu motio efficax habet veram efficientiam per influxum per se, ac realem in consensum voluntatis, quando actu fit. Et hoc etiam non satis declarat vim illius vocis. Nam habitus etiam charitatis habet veram efficientiam per influxum per se, ac realem in actum charitatis, quando ille elicitur. Et tamen non propterea dicitur physice determinare voluntatem determinatione efficaci et antecedenti, ut certo constat. Item omnes confitemur gratiam cooperantem habere physicam et realem, ac per se influxum in actum consentiendi voluntatis, quando ille fit, et consequenter ad talem actum eliciendum esse necessarium aliquod principium supernaturale physice efficiens ipsummet actum, sive illud principium sit habitus, sive aliquis actus gratiæ excitantis, sive qualitas aliqua transeunter indita, licet per modum actus primi, sive interdum Deus ipse (hoc enim neque ad præsentem controversiam, neque ad dogmata fidei pertinet), et nihilominus illa efficientia physica non satis est ad hoc, ut gratia præveniens habeat illam vim prædeterminandi voluntatem, quæ per additum illud, *physica*, intenditur, et ad efficacitatem præviam connaturalem et per se, attributam tali motioni, necessaria est.

Ultimo ergo proprie et (ut ita dicam) ex instituto, per illam vocem significatur talem esse entitatem illam, quæ prædeterminatio vocatur, ut, eo ipso quod inhæret voluntati, sola sua vi et proprietate connaturali ita constituat illam in ultimo complemento actus primi ad operandum, ut non stet a voluntate sic affecta separari actum secundum, sed consecutione et illatione omnino necessaria consequatur, adeo ut implicet contradictionem voluntatem in tali actu primo constitui, et pro eodem instanti seu duratione carere actu secundo, non minus quam repugnat currere et non moveri, aut solem illuminare aerem, et aerem non illuminari, aut Deum actu concurrere cum igne ad calefaciendum, et ignem non calefacere. Atque hæc proprietas seu causalitas prædeterminationis, si vera est, optime significatur per illam particulam *physica*; nam denotat tantam efficacitatem convenire illi prædeterminationi ex intrinseca natura sua, et ex vi solius entitatis suæ: quare non est cur vox offendant, si res vera est. De hoc autem solo puncto est tota controversia. Patres enim Societatis omnino sentimus non esse prædeterminationem physicam, sic intellectam et declaratam, admittendam ut necessariam, verum etiam neque ut possibilem salva libertate actus, ad quem voluntas sic prædeterminatur; ac proinde si Deus potest sua omnipotentia efficere in voluntate hominis talem prædeterminationem physicam, in tantum id posse in quantum potest eam necessitare, quia prædeterminare physice voluntatem ad unum, et necessitare illam, idem esse credimus, et comparari sicut definitionem ad definitum. At Patres Dominicani revera defendunt physicam prædeterminationem in sensu a nobis explicato, nec aliud habent in quo possint a nobis dissentire, ut in principio totius Apologetici latius dixi; putantque illam non solum esse possibilem, sed etiam necessariam, non solum in operibus gratiæ, sed in universum in omnibus actibus voluntatis, etiam malis, quantum attinet ad efficacitatem illius prædeterminationis, seu modi physice prædeterminandi potentiam, licet in entitate prædeterminationum sit varietas, juxta exigentiam et ordinem actuum ad quos ordinatur.

Atque ex hac declaratione colligitur aliud esse physicam prædeterminationem ad consentiendum, aliud vero physicam efficientiam in ipsum consensum; tum quia, ut supra dicebam, habitus charitatis habet physi-

cam efficientiam, non tamen dat physicam prædeterminationem; tum etiam quia physica efficientia in actu secundo non est prius etiam natura quam sit ipsamet actio; prædeterminatio autem physica dicitur esse prius natura quam sit actio ipsius consensus, per motionem præviam determinantem potentiam in actu primo ad talem actionem; unde physica efficientia consensus revera pertinet ad gratiam cooperantem seu adjuvantem; prædeterminatio autem physica, si est, ad solam gratiam prævenientem seu operantem spectat, quia fit in nobis sine nobis, prius natura quam consensus supernaturalis a libero arbitrio vel a gratia physice fiat. Quapropter attente cavendum est, in argumentationibus, quæ fieri solent pro physica prædeterminatione, facile fieri transitum a physica efficientia ad prædeterminationem physicam, et ita sophisma committi argumentando in quatuor terminis. Tale est argumentum quod aliqui contra nos ex nostra doctrina sumunt, quia nos colligimus Sacramenta causare physice gratiam, quia Concilia et Patres dicunt illam efficere, quod potest intelligi proprie, atque adeo de physica efficientia, quæ propriissima est, et non tantum de morali, quæ est impropria; sed Scriptura, Concilia ac Patres dicunt Deum per gratiam suam facere ut velimus et ut faciamus, et facere nostrum velle, et similia; ergo intelligenda sunt de propria effectione physica. Hæc enim argumentandi ratio ad summum concludit Deum per gratiam physice efficere voluntatis consensum; ad concludendum autem quod efficiat physicam prædeterminationem, nihil valet, quia jam erit argumentatum in quatuor terminis. Quin potius (ut in superioribus dixi), ex simili argumentandi modo non colligitur quod gratia præveniens physice efficiat consensum; quod est mihi certissimum de gratia præveniente, ut sic, quia dum in ea præcisa ratione sistit, nondum consensus fit; unde nec datur physica efficientia in ipsum. Solum ergo probatur illo argumentandi genere, per gratiam aliquam, quæcumque illa sit (optime autem nomine gratiæ adjuvantis et cooperantis significatur), physice fieri voluntatis consensum, quod certissimum est, etiamsi nulla sit physica prædeterminatio, de qua est controversia.

Præterea colligitur ex dictis, per hanc vocem complexam, *physica prædeterminatio*, non significari prædestinationem divinam, nec prædefinitionem, vel quid simile, quod

internum tantum Dei decretum, propositum, seu præparationem significat, vel quid simile. Atque hæc sit secunda hujus capituli propositio, quæ evidenter concluditur ex dictis de verbo *determinandi*, et nomine *determinationis*. Non minus aperte probari potest ex declaratione alterius particulæ *physica*, nullo enim modo accommodari potest ad internum actum vel decretum voluntatis Dei. Nam determinatio voluntatis Dei ad intra (juxta veram doctrinam) non est per aliquam additionem realem, quæ actui necessario voluntatis Dei fiat, sed cum solo respectu rationis inde resultante. Unde ex hoc capite non potest dici determinatio physica; nam illa vox plane indicat esse determinationem realem, et naturali vi alicujus entitatis. Accedit quod illa est determinatio in ipso actu secundo, ut habente ultimum quemdam respectum ad secundarium objectum suum. Determinatio autem physica dicitur esse in quodam actu primo, seu complemento actus primi in ordine ad actum secundum. Non est ergo prædeterminatio physica ipsa æterna Dei prædestinatio; alias etiam dici posset prædestinatio physica, quod inauditum est et plane incongruum. Dices prædestinationem dici posse prædeterminationem physicam, non formaliter et in Deo ipso, sed causaliter, quia efficit illam. Respondetur imprimis etiam hoc esse inusitatum. Deinde, admissa illa denominatione, est sine dubio analogica, et supponit prædeterminationem physicam formalem et propriam, quæ non sit prædestinatio, sed prædestinationis effectus, et consequenter non sit æterna, sicut prædestinatio, sed temporalis, nec sit in Deo, sed in homine. De hac ergo formali, et, ut ita dicam, intrinseca prædeterminatione physica, dicimus non esse prædestinationem, et de illa controvertitur an detur; unde sine causa supponitur ab illa posse prædestinationem denominari extrinsece et analogice prædeterminationem physicam. Nam si nulla est talis physica prædeterminatio, nullus est talis prædestinationis effectus, et consequenter nulla est talis denominatio in ipsa prædestinatione; non sunt ergo hæc conficienda, supponendo quod disputatur, vel æquivoce ab una ad aliam argumentando.

Sit ergo tertia propositio: in Sanctis Patribus, Conciliis aut Scripturis, cum de Divina prædestinatione, præordinatione, præfinitione, æterno proposito aut decreto loquuntur, nullum est vestigium, neque indicium physi-

cæ prædeterminationis, de qua præsentis controversia tractatur. Hoc constabit aperte legenti omnia quæ de auctoritate Patrum et Theologorum in Apologetico fuisse tractavimus. Item constat ex paulo ante insinuat in hoc capite. Nam formalis vox determinandi aut determinationis vix invenitur in Patribus loquentibus de providentia, vel efficientia Dei circa liberum arbitrium. Quod si interdum ponitur vox illa vel ab interprete, vel ab ipso auctore Latino, sermo est de interna et æterna determinatione voluntatis Dei, non de aliqua Deo extrinseca, quam causet in tempore in voluntate humana; et ideo nunquam addunt illam particulam *physica*, neque aliam illi æquivalentem. Quapropter multa, quæ hic congeri possunt ex Patribus et Scholasticis, extra rem sunt; in cujus indicium sufficit unica allegatio ex Molina in principio capituli relata. Nam quia in uno loco usurpavit verbum prædetermino, pro determinatione æterna et ad intra voluntatis Dei, ei tribuitur quod asserat idem esse prædeterminationem physicam et prædestinationem, cum priorem ubique impugnet, supponendo esse, vel potius fingi, ut aliquid creatum, temporale, et impressum voluntati humanæ, quæ proprietates toto cælo a prædestinatione distant.

Adde quod amplius est, non solum cum Patres de providentia aut de prædestinatione loquuntur, non attribuere illi quod sit prædeterminatio physica; verum etiam cum loquuntur de effectibus gratiæ aut prædestinationis, et de modo quo Deus voluntatem humanam movet, ut suam divinam voluntatem exequatur, nullam mentionem facere physice prædeterminationis impressæ voluntati humanæ. Hoc notavi et latissime ostendi in longo discursu, quem de doctrina Sanctorum Patrum in hac materia feci; et præsertim apud Augustinum est profecto valde mirabile, quod cum innumeris verbis et modis declaret efficaciam divinæ gratiæ in trahenda voluntate humana ad se per supernaturales actus, dicens præparare illam, movere, præmovere, interius docere, vocare alto et secreto modo, et similia, nusquam dixit determinare vel prædeterminare illam, multoque minus physice prædeterminare. Neque usus est verbo aliquo quod vere dici possit huic æquivalens. Nam quod quidam dicunt, quoties Augustinus, Thomas, aut alii Patres vel Theologi dicunt Deum movere, aut præmovere voluntatem ad aliquid determinate volendum, aut

quid simile, eo ipso docere prædeterminationem physicam, hoc (inquam) frivolum est; tum quia a genere ad speciem affirmative argumentantur, nam movere, et præmovere, et similia, generaliora sunt quam physice prædeterminare; tum etiam quia multa ex illis possunt intelligi de motione Dei per concursum et cooperationem ad ipsam volitionem determinati objecti, quæ motio in re non fit sine cooperatione liberi arbitrii; et ideo non potest esse prædeterminatio physica, quæ a solo Deo fieri dicitur. De tali ergo prædeterminatione nulla est mentio in Patribus.

Atque hinc soleo argumentum sumere, apud me non parum efficax, hoc genus gratiæ, auxilii, aut motionis non fuisse cognitum Sanctis Patribus, etiam illis qui pro divina gratia acriter et ex professo pugnarunt; quod si illam agnovissent, illius profecto aliquando meminissent, maxime cum ad explicandam efficacitatem Divinæ gratiæ necessaria sit, si revera talis est. Quod si Patres hoc genus auxilii non cognoverunt, profecto necessarium non est, neque hac novitate indiget Ecclesia ad gratiam defendendam contra Pelagium ejusque reliquias; imo illam vitare debet, ut libertatem arbitrii contra Calvinum tueatur. Sed aiunt, licet vox fortasse nova sit, non tamen rem, quæ per illam significatur. Non esse tamen in Ecclesia novum, ad explicandas veritates antiquas, nova invenire nomina, quando nova occasio occurrit, ut supra dicebam, et est satis vulgare. At enim quænam, quæso, est hæc nova occasio inveniendi hoc novum nomen ad quoddam divinæ gratiæ auxilium significandum? Certe ad summum dicere possunt, ut solent, excitari nunc errorem Pelagii, dum dicitur Deus expectare liberum arbitrium jam vocatum, ut suæ vocationi cum suo adjutorio consentiat. At hæc occasio multo magis vigeat, cum ab ipso Pelagio assertum est Deum expectare liberum arbitrium, ut suis solis viribus consentiat legi et Doctrinæ, vel cum a Semipelagianis prædestinatio antecedens ad omnia merita prævisa negata est; et tamen Augustinus et Sancti Patres ad resistendum his hæreticis assertionem illam non indiguerunt, nec tali modo loquendi usi sunt; ergo signum est non tantum vocem, sed etiam rem esse novam; eo vel maxime quod vox revera non est nova; quia et singulæ partes ejus antiquæ sunt, ut vidimus, et totum complexum usurpatum est ad proprietatem naturalium agentium significandam; nam a suo auctore sunt determina-

ta ad unum in actu primo, ac perinde prædeterminata, quia determinatio illa eorum actiones antecedit, et intrinsece, realiter, inevitabiliter, ac naturaliter determinata sunt; quod idem est ac physice. Non est ergo vox nova, sed novum est illam applicare et attribuere libero arbitrio, et hoc est multo efficacius signum novitatis rei quam si vox esset omnino nova; nam certe si res esset antiqua, et Patribus cognita, explicassent illam propria voce, trita et vulgari, attribuendo voluntati per gratiam id quod alia agentia habent per naturam. Hoc autem non solum non fecerunt, sed maxime caverunt, quia videbant talem gratiam non perficere libertatem arbitrii, sed destruere et impedire illius usum, ut jam explicabimus.

Quarta ergo propositio sit, physicam prædeterminationem vere talem a suis assertoribus poni, ut superet et vincat potestatem voluntatis ad dissentiendum, vel ad non consentiendum, vel ad resistendum determinationi ejus ad exercitium et specificationem actuum, ac proinde non sit in potestate voluntatis non agere, vel non consentire, et multo minus dissentire, postquam sic est prædeterminata. Hoc est accidens ex ipsa voce *physica* secundum eam vim et propriam significationem, qua hic usurpatur et a nobis explicata est. Declaraturque ex illo effectu, quem omnes ejus assertores admittunt; quia, posita in voluntate hac prædeterminatione, omnino infallibiliter voluntas consentit, non ex aliqua suppositione præscientiæ de futuro effectu, sed ex vi et intrinseca natura talis entitatis quæ est prædeterminatio, ut causæ efficacissimæ ut voluntas consentiat, non solum cum illa efficiendo consensum, sed etiam ex vi suæ inhæsionis et ponderis, quo trahit voluntatem ad consensum. Ergo necesse est dicere in voluntate non esse potestatem resistendi huic causalitati illius prædeterminationis, nec impediendi actualem efficientiam ejus in consensum, et consequenter nec continendi influxum suum, quia non potest ab influxu ipsius determinationis separari. Patet consequentia, quia infallibile non solum dicit verum futurum, sed etiam dicit esse tale, ut non possit esse falsum: ergo et quod non possit non evenire, seu non fieri, vel esse. Nam, ex eo quod est vel non est, propositio vera vel falsa est. Et similiter ex impotentia non essendi, sequitur impotentia falsitatis, quæ infallibilitas dicitur. Hæc autem infallibilitas non est ex vi præscientiæ rei in se